

Johannes Clüver

## **Joannis Cluveri Crempensis Holsati, Philosoph. & Theol. Stud. Oratio De Vera Animi Tranquillitate**

Rostochi[i]: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729135713>

Druck Freier  Zugang



J. Chover.

R. U. phil. 1613.





JOANNIS CLUVERI  
CREMPENSIS HOLSATI,  
Philosoph. & Theol. Stud.

Oratio  
DE VERA  
ANIMI TRAN-  
QUILLITATE,

APPROBANTE

V. CL.

IOANNE KIRCHMANNO

Poët. Prof. Publ.

*Publ. Recitata*

In inclyta ROSTOCHINA

*In Auditorio Magno*

*17. Martij. b. g.*



ROSTOCHI  
Typis Joachimi Pedani, Anno 1613.

*Handwritten mark and number: 16.11.*

—————  
—————  
*Juveni Eruditione exquisitâ & Virtute  
singulari Præstantissimo*  
DN. JOACHIMO MORSIO  
HAMBURGENSEI,  
amico - fratri, & contubernali oculissimo

S.

**I**N turbida hac Reip. literaria Tempestate, Frater omnium longè fidissime, Neptuno aliquo peropus foret, cujus tridens eâ polleret autoritate, ut motos posset componere fluctus. Verum cum illud optare potius, quam sperare præsens status jubeat, nobis nostræ erit Tranquillitati consulendum. Qui verò id fieri possit melius, quam si Ciceronis, Seneca & Boëtij olim, hoc seculo. J. Lipsij exemplo, è limpidis-  
simis veterum comprimis Philosophorum fontibus (qui abs te, non ut vulgò, aestimantur & frequentantur) malorum amuleta conquiramus; omnemq; moveamus lapidem, ut, sicut huic ævo sui non desunt Phalarides & Juliani, nec magis, qui illos non tam metu quàm contemptu & sibilo dignos judicent, desiderentur. Quod cum tu mecum sedulo facias, in eo uterq; securitatis desiderio admirabilem illam, qua conjuncti iterum ROSTOCHII sumus, fati sum nobis discessu paulum simus interrupturi, non potui equidem facere, quin dum Reverendi & CL. Doct. EILARDI LUBINI, communis vestri Mecanatis & hospitis suscipiendi, (cui hosce studiorum meorum progressus unice debeo) consuetudine te diutius sim fruiturus, animi mei symbolum aliquod & simulacrum, mei presentis instar habendum, traderem. Quocirca hanc Orationem meam & te auscultante, frequentissimo Auditorio pronunciatam, tuo nomini, quod meo, ut animum animo, nunquam edulsum esse oportet, nuncupandum censui: M. Tully aliorumq; complurium, qui ingenij sui fetus amicissimis quibusq; fovendos commendabant, imitatione; Quin pro tuâ Virtute, que sola me tibi jam per quinquennium arctissime astrinxit, proq; amicitia qua ex ipso Apollinis Parnassæ (Lugduno Batavorum inquam) revocare te valuit, & incredibili Elegantiorum Musarum amore, gratissimam sis habiturus, nihil addubitans. Vale, Vive, meq; presentem, absentem eodem affectu, ut facis, prosequere. Rostochi, 14. Cal. April. Anno 1613.

T. eternum

J. CLUVERUS





**D**E summo hominis bono,  
Rector Magnifice, Patres Academici  
Reverendi, Cl. Consultissimi, Praestanti-  
ssimi, Tuq; nobilissima Eruditissimo-  
rum Juvenum corona, flos seculi illi-  
bate, spes mundi maxima, De summo,  
inquam, bono, nemo est Philosopho-  
rum, quin sibi summoperè cogitandum  
difficiendumq; putarit; Nemo, quin in  
eo investigando omnes ingenij nervos attentarit; Nemo serè, quin  
peculiarem sibi invenerit defenderitq; sententiam. Animadver-  
tere nimirum homines sapientissimi, quanto de negotio ageretur,  
ubi de illo ageretur, in quo Universa hominis consisteret perfectio  
& felicitas, quo destitutus assiduo fluctuaret, quoq; positus lū-  
benti animo conquiesceret. O me igitur summè temerarium!  
qui tanto oneri, cui vix Atlas & Hercules levando sufficerent,  
humeros, & quos humeros? juveniles tenellosq; humeros haud  
verear subicere! Deum Immortalem, quantum hîc dubita-  
tionum pelagus, nec dubitationum quidem tantum, sed & erro-  
rum quanta vorago? Quam curiosiori rimatus oculo obruta  
pravavura opinionum ceneribus Veritatis scintillam vides promi-  
cantem, quâ folle divina rationis sufflatâ, ne pestilenti faciem  
pulvere polluam, etiam atq; etiam caveo. Satis fortasse foret  
juveni, Veritatem ab alijs præmonstratam tueri potius, quam de-  
mersam implexamq; irresolubilibus vitiorum tricis eruere; sed  
tentandum & illud aliquando, quod te non tam effectum, quàm a. II. γ.  
inchoatum esse daturum speres, & ad quod subeundum non tam a. I. γ. i-  
facilitatis illicio, quàm difficultatis præmio movearis. Verum ego, *ωδύρα*  
ut fieri assolet, plus mihi posse, quam possam, videor. a Semper *πῶν ἐν*  
enim, ut Homericum illud exprimam, juvenum librantur *ῥῶν φῶν*  
in aëre mentes. Tantum tamen abest, ut cum venia indulgen- *ves ἡερέ-*  
A 2 *σιος ἰοῦται.*

tioris pollicitatione, audacter delinquendum arbitrer, ut delicta  
potius sedulo cavenda censeam, ne aliorum clementiam implorare  
cogar. Ut autem metu omnibus praeclare captis perniciosissime  
obstaculo me liberem, hic, ubi lapsus in prono est, veniam quoque  
in promptu fore, certius spero.

Propert. l. 2.

El. 3.

Nam si deficient vires, audacia certe

Laus erit, in magnis & voluisse fat est.

Ac sane multarum nos & pulcherrimarum rerum haberet igno-  
rantia, nisi fuissent primi quidam rerum indagatores, qui sequen-  
tibus viam, remotis vepribus succisisque difficultatum spinis ape-  
rissent, & ad penitiora penetrandi animum fiduciamque concilia-  
issent. Quod vel nostro maxime aevoliquidum est, ubi omnia  
demum humani ingenij mire & solerter inventa maturitatem  
si non attigerunt, aspirare tamen ad eam propiusque accessisse videntur.  
Nisi enim majores nostri moliri res arduas cepissent, nemo  
posterorum fuisset emolitus, imò nec se emoliturum cogitasset. Ar-  
tes & litera, qua aliquot seculis pallore squaloreque obducta deli-  
tuerant, hac aetate restituta, primordio quidem sanitatis imbecilli-  
ori, medente Valla, Capnione, Ludovico Urvete, paulum con-  
valuerant, mox fida Erasmi, Melancthonis & aliorum indu-  
stria dato incremento, tandem nostris ita vigent valentque tempori-  
bus, ut nisi feralis male feriatorum quorundam Philosophastorum  
vesania barbariem reduxerit, omni aevolutura videantur.  
Quae cum ita sint, confidenter equidem facinus magnum aggressus  
non stolidè tamen planeque irritò conatu aggressus videber.  
Quod dum apud vos, Viri longè Eminentissimi, qui Columna  
Reip. literaria merito auditis, haustuque potente omnem Pyrenes  
liquorem exorbuisistis, expedio, quidni benigno faventia vestra  
Favonto afflatus ad exoptatum suscepti operis portam perveniam?  
Aut quid illud petam, quod haud precario, sed ultrò mihi largi-  
turos esse, honorificè vestrà praesentia jamdudum testamini? Aut  
quid sollicitis illud votis exposcam, quod à quovis vestrum hoc  
loco constitutus facillimè impetraturum autumo?

Quare:

Quare ne diutius Oratione mea suspensa expectatio vestra  
teneatur, quid huc accesserim, ac de quibus dicturus sum, accipite.  
De Summo bono me acturum inaudivistis, illud in verâ Animi  
Tranquillitate collocaturus sum, non eâ quidem, qua in torpore  
ignavoq; sita est otio, quamq; Crassus ille diu pugillatores spectando  
defatigatus, in harenam procumbens affectabat, dicendo, vellem  
hoc esset laborare; Sed ut Tranquillum paratumq; mare appella-  
mus, quod nullis infestatur quatiturq; procellis, sed suis contentum  
limitibus conquiescit; Ita Tranquillum volumus animum, qui  
nec timore nec levitate distrahatur, nec ullis vexetur injurijs;  
sed fixus ac stabilis, in seipso contractus, ingruentium malorum  
contemptor, finibus honestatis nunquam egrediatur. Hanc & Ju-  
piter bonum optatum maximum statuam, quod acquisito nihil qua-  
rendum ulterius. Dehinc dulcedine hujus Boni & praestantia  
incomparabili perspectâ, qua ad nanciscendum illud via proficisci  
oporteat, explanabo, ne illorum peccem vitio, qui Eloquentia, Vir-  
tutis ac Sapientia praelestria conquirunt Encomia, ipsi ea persequi  
nunquam attentant, sed coquorum instar, odore saturati, penitio-  
res ciborum delicias alijs. perfruendas relinquunt. Hac dum  
breviter evolvo, vacuas mihi aures sedatosq; animos praeberi; ac  
si quid minus subtiliter & ornate dictum gestumq; videbitur, su-  
spenso iudicio librari, libratum corrigi, correctum condonari, ob-  
nixè ac peramanter obsecro. Philosophorum igitur, quos ab  
humana inscitia cano comprix Sapientia repurgavit, per vetus &  
verissima vox est, omnia fieri propter finem aliquem, imo & hoc,  
Unius rei finem esse unicum, quod tamen haud perperam velim  
intelligi, tanquam res una variè prodesse, ex una (quod ajunt) fi-  
delia duo dealbari parietes nequeant, sed ita, ut uni tantum fini  
ultimo, summo, praestantissimoq; res qualibet per naturam desti-  
nata sit, ad quem cetera, quaecunq; ex ea resultare possint utilita-  
tes, unicè referantur, & quasi ad scopum quendam colliment.  
Idem mihi de Homine, cujus finem summum civilem, hac inda-  
gine vestigare allabuit, venit statuendum. Hunc enim multis  
A 3. omni.

Cic.

Democri-  
tus ap.  
Laert. &  
Seneca

Hel. 2.

Lipf. 1. 2.  
de Con-  
stant. c. II.

Quid sum-  
mum Bo-  
num voca-  
tur,

omnigenisq; inhiare bonis, adeò verum est, ut in proverbium illud  
Virgilij abierit: *Trahit sua quemq; Voluptas: Et: Velle suum  
cuiq; est, nec voto vivitur uno.* Illa vero, quæ singuli appetunt,  
ad totius humane gentis commune aliquod bonum esse dirigenda  
vulgus ignorat; Nobis omnium naturam rerum & animantium  
contemplantibus, quia certo numero, augmento, pondere, termino  
definita sunt, nec modum eum excedere cuiquam fas est, sine in-  
clinatione omnium ac ruina, hominem Universi hac lege non esse  
eximendum constat. Nam & isti suam Deus metam adsigna-  
vit, quam indipsi licet, transire nequaquam. Externam per-  
fectionem hic non attendimus, quandoquidem omnia creata ad  
unicam Solius Dei gloriam ordinatâ serie reducuntur, quibus ta-  
men singulis sua perfectionis interna attributa est portio, quam si  
atingant, nihil requirunt amplius. Quemadmodum enim to-  
tius hominis structura ad iter aliquod expediendum concurrat,  
alio tamen munere pes, alio oculus, alio manus, alio aures, alie  
deniq; mens fungitur, nec suo quodq; membrum sine frustratur,  
licet alius sit totius; Ita quanquam omnia hominis totiusq; nature  
Theatri ad concelebrandum opificem Deum accommodata sint,  
quid quantumq; huic rei singula conferant, & in quo collato re-  
quiescant, advertendum. Agite igitur, Auditores prestantis-  
simi, quid homini maximè amicum? quid exoptatissimum? quid  
supremum? expromamus. Quo cupido reliquarum voluptatum  
tanquam ad extremam calcem revocatur, cujus gratia cetera  
sunt Universa, ipsum sui plenum, maximas opimitates gaudio  
effertissimas, divite cornu profundit, nulli subservit, sed illi subor-  
dinantur omnia; quodq; in ipsa hominis natura positum perfectis-  
simum eum, omnibusq; numeris absolutum, quantum quidem ulli  
contigisse ac novisse datum est, efficiat. Varia sanè responsa,  
varia Philosophorum Lycea ferunt, quorum habito examine, con-  
cors quadam suboritura videtur Discordia; Ego quotquot volue-  
rint ad meum tracturus sum placitum, qui noluerint suæ sibi res  
habere jubebo. Verum enim vero universa, eaq; sigillatim ex-  
cutere,

cutere, esset littorū Baltici arenas curiosa insanaq. sollicitudinē  
dinumerare, cum praesertim Varro ducentas octoginta & octo de  
summo bono opiniones suo numeratas tempore memoret. Videam  
mus Aristotelem, aureum illum Gracia ocellum, qui tantum alios  
inter sapientes caput extulit, quantum lenta solent inter vi-  
burna cupressi. In virtutis exercitio ille felicitatem collocat, Virg. Ecl. 7.  
quam si sua etiam Fortuna bonis exornet, perfectissimam evade-  
re; Virtutem vero nudam, qua vel dormienti aut egro insit, in-  
fortunatum miserumq. relinquere hominem. Sed quis simul  
inquam omnibus fuit praeclitus virtutibus? Aut quis sublimer  
illam, Deo assimilē, inquam assecutus est sapientiam? Nemone  
igitur beatus, nemo felix erit habendus? Ego vero illud, quod  
invenire possim, quasi vero, & quod quasi vero, me inventuram  
sperāro; Alioqui enim quid frustra laborem? Quod si hoc im-  
petrare ab Aristotele liceret, ut rigidam illam omnium virtutum  
perfectionem, vires ex superantem humanas paulatim relaxaret  
demitteretq., jam totus nostrarum foret partium, siquidem non  
quomodoq. debeat, sed quomodo possit adscendi praescriberet. Liceat mihi,  
bonā acutissimi Mortalium pace, istiusmodi designare felicitate-  
m, cuius, qui modo cupiat, sese facere queat participem, id quod 10. Ecl. 7.  
nec in summo bono ipsius practico, nec Theoretico, nisi paucissimis,  
imō nulli potius, est concessum. Decretum consiliumq. ejus non  
improbo (nec fas mihi quidem) nec à mea alienum sententiā ju-  
dico. Nam felix illi est, qui maximè omnium ea, qua virtutū  
sunt, aget & contemplabitur, fortuna insultus pulcherrimè feret,  
& verè bonus & quadratus sine vituperio reperietur; Mihi inesti-  
mabili istāc Tranquillitate nemo instructus dabitur, quin ani-  
mum virtutis amore delinitum, jam obfirmārit, & cunctas pra-  
terita, praesentis ac futura fortis injurias suāq. deq. habuerit.  
Plato merum mundi miraculum Ideam boni specularandam, &  
exinde & daemōniarū venandam censuit, quem quomodo refutes  
ejus discipulus, nihil jam ad nos, illud magis, quod si divini numi-  
pū intueamur mentem, ubi suam Plato Ideam reponit, plurimum

ad Tranquillitatem parandam conducere. Pereruditè idem  
 Philosophiam mortis meditationem appellavit; ita nimirum fore  
 existimans, ut quando illa adveniret, nec insueto animum terrore  
 percelleret, nec, quia nunquam non adventuram meminerimus,  
 fluidis hujus vita gaudijs implicaremur, sed ea Indies, quæ rogo  
 etiam superesse, & avaras mortis manus evadere possent, sectare-  
 mur. Quid verò illi non animo, sed natione barbari, Indorum  
 Gymnosophista, Hylolobiq, de nobis, nostraq, sententia sentiunt?  
 Quid tanta tamq, austera sibi voluit Temperantia, quâ Vini,  
 Veneris, Conjugijq, nisi 37. annis in studioso vita genere exhau-  
 stis, prorsus insolentes fuere? Scilicet illud erat, ut bonam vi-  
 tam pia morte terminarent. Quid autem benè vivere? Quid  
 benè mori? Credo mihi, benè quis latuit, benè vixit, & nil ad-  
 mirari, nilq, vereri una propè solaq, res est, quæ possit facere &  
 servare beatum. Herillus Zenonis Eleata auditor, in cognitio-  
 ne & scientiâ summum bonum posuit, quod dum fecit, quid aliud  
 fecit, quam quod animum vagis discordantium dubitationum  
 fluctibus immunem, stabilem & placidum, uti nos volumus, in  
 summa felicitatis arce collocavit. Pythagoras, qui amanissimis  
 Italia campis sexcentos suæ eruditionis lacte discipulos enutrivit,  
 à Leonte Phliastorum tyranno, quid vita esset interrogatu, Ludo  
 (Gracè τῶν γίγῃ) seu spectaculo assimilatum, respondit, quò non-  
 nulli certandi, nonnulli negotiari gratiâ accederent, optimos  
 vero esse Spectatores; Sic in vita quosdam servili ingenio fama  
 pereuntis fluxarumq, divitiarum reperiri aucupes, Philosophos  
 autem sedato veritatem animo contemplari. Quid autem quin-  
 quennali silentio discipulis insinuare, præter hoc ipsum, voluit, ne-  
 minem fore Sapientia ac Felicitatis capacem, quin animum equa-  
 bilem omniq, turbâ liberum optimè conformare addidicisset? Imò  
 verò universa ejus de vitandâ carniû commestione, vescendiq,  
 apyrû (igne non excoctis maturatisq;) cò tetenderunt, ut homi-  
 nes in parabili victu acquiescere, nec quicquam ultra Saturitatem  
 appetere doceret. Quid quod Cor non excedendum suasis? Vanis  
 & mor-

Haurnius.

Horat. ad  
 Numic. ex

Homer.

Odyf. 3.

Cic. 4.

Acad.

Diog. l. 8.

c. 1.

Lipf. de

Stoicâ Phi-

losophiâ.

Et mordacibus curis esse abstinentum? Quid quod nihil proprium aestimandum? quia bonam mentem consequi, summum Et proprium bonum asserbat. Quid quod Virtutem Harmoniam deservit? quia in uniformi Et pacato mentis temperamento eam consistere nobiscum perspexit, ideoque homines neque risu diffundi, neque tristitia constringi mandavit. Polemo, qui in vitis peregrinatus quidem fuerat, non tamen habitabat, Felicitatem esse secundum naturam vivere, planissime pronuntiavit. Quod Stoici trifariam interpretantur, vel vivere adhibentem earum rerum, qua natura evenirent, Scientiam, qui finis erat Zenonis ultimos vel officia omnia media aut pleraque, servantem vivere vel denique omnibus aut maximis rebus istis, qua secundum naturam sunt, fruentem vivere. Omnibus istis Tranquillum nostrum instructissimum dabimus, quippe qui ad nutum ingeniumque natura sese applicare, egregie sit edoctus. Zeno Stoicorum parens, interfici, capi, venire, patriam amittere, exilio multari, egestate conflictari in malis esse negavit, negavit inquam, non quasi mallet ipse vitam jam desungi, quam fungi diutius, sed quod si ista obvenirent, animum recte compositum suo de statu dimovere nec possint nec debeant. Hoc est quare Stoicorum maximus Seneca sapienti nihil contra opinionem dicat accidere, Non illum casibus hominum excipiendo, sed erroribus, Quandoquidem illi non omnia, ut voluit, cedant, sed ut cogitavit. Inprimis autem cogitavit aliquid propositis suis posse resistere. Necessae est autem levius ad animum pervenire destituta cupiditatis dolorem, cui successum non utique promiseris. Sed enim Epicurus, quem omnes Theonino dente rodunt, cujus titulo omnes garrones, Larciones, veniresque pessimo exemplo injuriaque nunc insonitos esse oportet, quam lepidam quamque sapienter in nostram fertur sententiam, dum illud, quod natura amicissimum est, Voluptatem nimium, Summum Bonum salutat. Tranquillitatem (illi Laert. l. 10. Graeci autem praecia est) magnum, inquit, profitemur esse bonum, non uti semper paucis utamur, sed ut, quando copiosa non sup-

Diogenes  
ibid.

Cic. 4. de  
Finib.  
Val. Max.

B

petunt,

petunt, modicis acquiescamus, persuasissimum habentes, eos suavissime lautitias frui, qui eorum quam minimè sunt indigi. Quid magis ab ullo sobriè fuit dictum Philosopho? Quid verò magis putidè, quam ab illis dicitur, qui Epicurum turpissimi furoris insimulant, qui omninò Virtutem à bonorum fine segregàrit, quicquid belluinarum luxuriam pro verà solidaq; beatitudine fuerit amplexus? Constantèr ille in Epistolâ ad Menaceum, qua dicam si potero Latine, cum Cicero se Græcè loqui in Latino sermone non plus solere, quàm in Græco Latine, adstruat, Dicam sanè, Quando Voluptatem Finem humanarum actionum dicimus, non belluonum luxus, inq; perfruitione cibi ac potus positæ voluptates dicimus, ut quidam ignorantes pessimeq; mentem nostram accipientes autamant, sed neq; animo turbari, neq; corporis doloribus affligi. Virtutes enim vita jucunda adhærescunt, nec suavis vita unquam ab illis divellitur. Verum enim vero ex suo singulis studio bonum ac Beatitudinem metiri libido est, ut quot vivendi genera, imò quot malorum, tot etiam discrepantes de Summo bono subrepant opiniones, quas si ad nostram veluti cynosuram retuleris, in eo omnes consentire, manifestò deprehenderis, quod tantum Tranquillitatis, tantum summi boni attingerint, quantum ab ea defecerint, tantum à Felicitate aberrarint. Quod ipsum omni omnium hominum iudicio comprobari posse crediderim, qui expletis cupiditatibus, sedatoq; animo vere deum felices se ipsos reputant; at simulac fastidium obrepit presentium, protinus illâ, de quâ sibi gratulabantur, beatitudine videntur exuti. Et hac esse certissima, omnium vita generum enumeratione demonstrarem, nisi eos esse nactus Auditores, qui vel levitèr delibata exquisitissimâ persequi cogitatione valeant. Conspicuum tamen est comprimis in Lurcone, Avaro, ambitioso, Invido, quos perenne sui ipsius tadium exercet, quorumq; nemo tam lætus est suo, quàm tristis alieno. Imò, quod mireris, ipsi operum civilium, honestorum ac splendorum acerrimi affectatores, dum semper, rectè ne an perperam egerint addubitant, Tali

Cic. 1.  
Thusc.

Verba Epicuri sunt ap. Diogenem in ejus vitâ.

Arist. 1.  
Eth. c. 2.

tali fugacia pota prensant, ipsi utrum apprehensa nec ne sint, ignorant. At aurea nostra Tranquillitas summam omnibus virtutibus manum imponit, earumq; possessores solidum exinde gaudere jubet gaudium.

Ad hanc si mentem conformemus nihil miseria in nobis, nihil quod cruciet, in alijs deprehendemus. Hoc est ipsissimum Nepeibes, omnium unica medicina malorum, presentissimum contra ingruentem vitiorum pestem antidotum. Dolore animi ac corporis nihil homini acerbius, nihil pestilentius, nihil detestabilius, cujus inferissima tela Tranquillitas nostra retundit ac refringit. Illa totam hominis vitam tot malis, quot sunt arena litorum, quotq; minutissima pulveris astri corpora, circumseptam, ab omni injuriâ sartam tectamq; conservat. Quoniam enim illa non datur omnis omnino labis expers, omniq; immunis insitiâ, talem sibi deposcit Tranquillitas, qua suis flagitijs non sit conscia, nec sponte in scelera ruat, sed moderata sapientia potita penn, eundem quàm potest prudentissimè dispenset. Hisce comparatis in continuo illo bonæ mentis statu, stabili nutu persistens, semper presentibus contenta, semper etiam ulteriora petit. Paradoxum hoc vero ogganniat aliquis, Presentia amari, & majora tamen postulari. Dico quod dixi, nec quicquam absurdi dico. Ecce enim tibi jam meis hisce bonis acquiesco, jamq; alia omnia meliora habeo spe præcepta, sed spe tali, qua nihil torqueat, quaq; frustratus ne minimum quidem doloris sentiam. Sicut enim Deus (liceat parvis componere magna) cum Dædalum hanc pulcherrimi terrarum orbis structuram nondum esset fabricatus, fabricari tamen destinârat, sibi erat sufficientissimus, quamvis quod nuspiam erat, amabat fieri: Ita quodammodo Tranquillus sese habet, qui nunquam sibi displicet, assiduò tamen molitur quedam, & illa molitur, qua se emoliatur nunquam, sibi nihilominus perfectus beatuq; maneat. Conscendit navem, mari vehitur astuoso, animo utitur robusto, nec tempestuosis ullorum turbinum minis conquassatur: seve Neptunus ora lethifero ma-

dore, sive Bacchus latifico liquore repleat, insuper habiturus. Omnia enim mala superbo supercilio aspernatur, spem in sese, suiq; immortalitate reponit, Virtutem nunquam interituram, leve illud esse, quod aquis suffocetur, sapienter astimans. Is animus virtute preparatus, cubi instar obtinet, & medijs tranquillus in undis, omnia sua, ut Bion ille, secum portat. Rerum egestate premitur? Vix potest premi, quia ante didicit, ut si vel nudus in plateâ oberrâret, qui vestiat, facile sit inventurus. Latronibus prada factus? si vita superstes, habet quibus opes recuperet; sin animam cum fortunâ abstulere, morti omnes fato adjudicatos, pulchrè mori solis sapientibus per naturam tributum præscivit. Quoniam igitur sic semper & ubiq; vixit, ut ultimam quamq; lucem tanquam non redituram consumserit, quid in paucis vita superadditis diebus lucri, aut quid ijs demptis detrimenti? Extra patriam tumulatur?

Democri-  
tus.

Hoer. ad  
Demonic.

Epig. Græ-  
cum ap.  
Laert. Lati-  
nè reddidi.

Recto Acheronta petet descensu, sive eum Athenis  
Mors rapiat, mediâ seu pereat Meroë.  
Nec luget, patrijs quod non moriatur in oris,  
Nam pari ubiq; Euro ditis adibit aquas.

Vid. Hero-  
dotus, Flo-  
rus, Cicero,  
V. Max.  
Curtius,  
Lælius.

Liv. l. 34.

Nihil adeò malum, quin Tranquillitas nostra remedium ei præ-  
stinârit, Nihil infortunij, quin præviderit, nihil calamitatis, quin  
prævisum contemserit; Præmunita Virtutis galeâ omnes insa-  
nientis Fortuna ictus excipit, prævertit, excutit. Non illa  
duntaxat Crasos Crassosq;, non tantum Platones & Cratetas, non  
solos Demosthenes & Cicerones beatos apta est efficere; sed Emy-  
lios quoq; & Tiberones, Atticos & Abdolominos, Cincinnatos  
& Camillos, Curios & Menenius; Nec enim divitijs, honoribus,  
ingenij perspicaciâ, Eloquentiâ secus utitur atq; ministris; alios ijs  
præditos intuetur, ipsa suis exsatiata bonis, nulli invida, nulli ini-  
mica, nulli imperiosa, seipsam sibi probandi unice studiosa. Sit  
infimi subsellij, nec seorsim à plebe, ut Patres Conscripti olim, lu-  
dos spectet, quid exinde mali? cum & plurimi horum nihil vi-  
deant, cumq; ipsa sublimiori stare loco haud cupiat. Tanta  
cujusq;

cujus sunt mala vel bona, quantum est, qui illa sustinet, animus. **Ennius.**  
Omnium malorum expultricem acerrimam Tranquillitatem!  
Quid illa melius cogitari? quid praestantius optari? quid possi-  
deri beatius poterit?

Nec sufficit tamen ad praeclustrem ejus magnificentiam satis  
commendandam, quod votis omnium satis faciat, quod cuncta ad  
eam bona referantur, quod cuncta per eam mala auferantur; Ve-  
rum etiam hominem Deo propinquum cognatumque facit maxime,  
& caelestibus equiparat substantijs. Quae Luna subjacent, vi-  
cissitudinibus passionibusque obnoxia sunt varijs; quae super eam  
collocata, aequalem perfectionis naturaque suae servant tenorem,  
nihil abijciunt superflui, nihil attrahunt alieni, sibi constant per-  
petuo. Proinde si beatum velimus quicquam inferiorum, su-  
premis illud aethereisque substantijs assimilari, quantum quidem  
patitur, necesse est, adeoque ad astra quasi elevari. Ut igitur  
sphaericum caeli corpus perenni gyro circum torquetur, nec motus  
ullius sui gratia indigum, nec ullo tamen saturabile; Omnis item  
alterationis expers, vaporum à terrâ assurgentium incuriosum,  
eos vel unde abire, remittit, vel priusquam ad se adscendant,  
dissipat extenuatque; Talis omnino est, quem beatum praedico,  
Tranquillus, non otio torpet ignavo, nec si à labore cesset, miser sibi  
videtur; nec bono quopiam ante hac absente auctus, gaudio nullo  
perfunditur, nec tamen destitutus dolore concutitur; Venenato-  
rum savientis fortuna halituum despiciens, mobile mundi inge-  
nium negligit, sibique persistit invariabilis. Luna quae nobis stel-  
larum proxima est, non tantum hebdomadarias, sed diurnas etiam  
accidere mutationes, quis, nisi qui Lunam non aspexerit, igno-  
rat? Ipsa tamen à primo aevi primordio essentiam suam nec tan-  
tum quidem immutavit, sed erepto redditoque à sole lumine ea-  
dem permanet. Quidni tantundem Tranquillus noster valeat?  
Sive luceat gloria, sive obfuscetur ignominia, sive splendeat opi-  
bus, sive squaleat sordibus; sive sanitate vigeat, sive morbo fateat,  
magno omnia animo tolerat, vincit, transcendit. Sic profecto

Confule:  
Philoso-  
phos.

B 3.

ium

*ſum erimus beati, inquit Cicero, quæ corporibus relictiſ & cupi-  
ditatum & emulacionum erimus experies. Quis hæc, qui a-  
ciem modò mentis intendat, non perſpiciat? Quis paucis eſſe con-  
tentam naturam, non agnoſcat? At ò vanas hominum curas!  
ò pectora inania!*

Lucret. l. 2.

Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis.  
Degitur hoc ævi quodcunq; eſt, Nonne videtis  
Nil aliud ſibi Naturam labrare, niſi ut cui  
Corpore ſejunctus dolor abſit, menſq; fruatur  
Jucundo ſenſu curâ ſemota metuq; ?

*En tibi homo, quid Deo te conjungat, æternaq; ejus Felicitatis gu-  
ſtum præbeat, quin apertiſ hauriſ faucibus, itq; iſtoc delitio totam  
ingurgitas? Licet, licet, ſi libet, beato eſſe, ſed*

Horatius.

Strenua nos exercet inertia, navibus atq;  
Quadrigis petimus benè vivere, quod petis hic eſt,  
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

*Summam igitur Virtutem, imò omnium Virtutum complemen-  
tum, omnium honorum ſegetem in verâ animi tranquillitate ſi-  
tam oſtendimus: Quæ omnibus doloribus medelam adferat, quæq;  
Deo Ter. Opt. M.; gaudiòq; ejus inexplicabili, & cæleſtium crea-  
turarum perfectioni nos reddat conformes.*

*Nunc quibus ad eam gradibus perveniendum, floridiq; hujus  
Parnaffi jugum ſuperandum ſit, paucis perſpicuisq; rationibus  
abſolvemus.*

*Præclarè Satyricus;*

Juvenal. l. 4.  
Sat. 10.

Monſtro quid ipſe tibi poſſis dare, ſemita certè  
Tranquillæ per virtutem patet unica Vitæ,  
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia; ſed te  
Nos facimus fortuna Deam cœloq; locamus.

*Cave igitur, ſi Tranquillitatis noſtra frui cupias melle, ne pun-  
gentes mala conſcientiæ ſpinas radices in animo acre patiaris;  
Niſi illis te præſtiteris vacuum, jam ſummâ felicitate excidiſti.  
Bona enim conſcientia perpetuum convivium, cujus nemo non  
fierè*

fieri potest particeps, mala perpetuum tormentum, nemini tamen inevitabile. Nam utcumq; te placidum latumq; simulâris, premis altum cordis dolorem, & gravissimum nocte dieq; testem pectore circumgestas, medullis infidei Erinnyis, cruciatus modum mensuramq; sacree ignara. At Conticia mens recti famæ mendacia ridet, imò verè ridet, quia invulnerabilis est, non quia non feritur, sed quia non leditur. Contrâ Animus impurus Deo hominibusq; infestus, neq; vigilijs neq; quietibus sedari potest; Ita conscientia mentem excitam affligit. Sua quenq; fraus & suus terror maximè vexat, suam quemq; scelus amentiaq; afficit, suæ male cogitationes, conscientiaq; animi terrent; Ha sunt impijs assidua domesticaq; furia, qua dies noctesq; exquisitissimas pœnas à consceleratissimis hominibus exposcunt. Verum si benè egerim, quid mihi cum fortuna oculis, qua caco impetu quovis impingit? Benè sentire recteq; facere satis mihi ad benè beateq; vivendum. Sum eâ mente, quam ratio & veritas præscribit, ut nihil mihi præstandum in vitâ præter culpam arbitrer, eâq; cum caream, omnia humana placatè & moderatè feram. Ea enim demum molestissimè ferre homines debent, si qua debent, qua ipsorum culpâ contracta sunt, nec consilia ex eventu, sed ex honestate metiri. Quid mihi cum vulgi fabulis? Conscientiam ego meam, non famam cum multis vereor: hæc vaga multitudinis arbitrio subiacet, illa meo paret imperio. Antisthenes sanè regium esse dictitabat, malè audire beneficientem. Cedit in gloriam maledicis sermonibus fuisse violatum, Lana sordidissimis coloribus inquinatur, antequam purpura fulgore imbuatur, nec prius aquila factum agnoscit, quam dubitârit agnoscere. Crematius Cordus ob laudatos Cassium & Brutum iudicio postulatus, spreta, inquit, probra exolescunt; Si irascere, agnita videntur. Et nihil profectò videberis respondisse contemptoribus tuis rectius, quam si te sperni spernas, teq; nihili fieri, nihili facias. Vacare enim culpâ magnum est solatium. Tum etiam Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est, pulchrè Ovidium, quia si labatur alicubi

Ovid. 1.  
Fast.

Salust. in  
Catul.

Cic. pro  
Rosc. A-  
merino.

Cic. Fam.  
l. 6, Epist. 1.

Cic. ad Q.  
E. 1, Ep. 1.

Tacitus  
Annal. 6.

Epist. He-  
roid. 5.

Plaut. in  
Rud. act. 4.  
sc. 7.

alicubi sapiens, revocare, non amittere animum convenit; Male illud, Quae venit indignè, pena dolenda venit, Imò vero contemnenda. Sapienter etenim Horatius; Hic murus aeneus esto, Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ, Quid mihi, cum suspicioforum somnijs? Sapientem hoc tantum cavere aequum est, ne conscius sit ipse maleficijs suis. Quid mihi cum Tyrannorum odijs? Morbum ego alterius prestare non teneor; dummodò flagitijs odium non commeruerim, pili flocciq; facio. Quid seculi me vitia mordent? Quae mutare mecum non est, nec lugere quidem erit. Sed morbi, fames, inopia, pericula confertim circumstant? Offendit sanè graveolentia magis insuetos insalubribus canosisq; paludibus; nec tam acriter mordent ea mala, quibus in lucem prodeuntes tanquam naturali stipamur satellitio, quam quae florentem intactamq; aetatem aggrediuntur; Quod si tamen irruant, homines nos esse novimus, nec quicquam à nobis humani alienum: prater eaq; vanum esse earum rerum naufragio torqueri, quae possunt aut non haberi, aut cum habeantur effluere. Quocirca maximum hoc est ad Tranquillitatem veramq; beatitudinem momentum, conscientia liberum esse morsibus, & ob id nullam circumstrepentem malorum procellam extimescere.

Seneca.

Cic. ad  
Attic.

At quid fit dempto hoc remedio, terrentibus panis rodente infamiâ, imminentibus dira mortis stimulis? Circumspice undecumq; solatia, quae ex amico suo natura gremio depromit. Fati perpende necessitatem, quam nulli datum pratervertere: Multos inveni aequos adversus homines, adversus Deum neminem; Objurgamus quotidie fatum. Utrum autem, obsecro te, aequus judicas, te Natura, an tibi parere naturam? Deus de nobis viderit, qui in omnibus plus quàm ratio potest. Nos autem id viderimus, quod in nobis esse debet, ut qui quid acciderit, hominibus accidisse recordemur. Necessitati enim reluctari extrema dementia, parere autem, animumq; ut honestè potis est, submittere, summa fortitudinis. Quid prodest ejulatu implere aëra, & questibus fractos pectoris nervos profiteri, cum durare  
- potius.

potius, contraq; audentius ire deceat, quodq; Deum jubeat, jure merito jubere, in confesso esse debeat.

Nec enim satis hominum perniciem querere unquam fuit visum, sed exercere eorum potius virtutes, auctioresq; indies scire. Quod facile, quibus paulum peccus sapit, intelligunt, adeo ut Attalus Stoicus dixerit, Malle se à fortunâ in castris quam delicijs haberi, ac Demetrius, referente Senecâ, vitam securam, & sine ullis fortuna incursonibus mare mortuum vocâsse, nihil habere, ad quod exciteris, cujus denunciatione & impulsu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcussò jacere, non esse tranquillitatem, sed malitiam. Ideoq; Deus & Natura optime hominibus consultum volunt, dum instigendis penis eos explorant castigantq;, ne in segnitiam devoluti, Cyclopum instar, bellum calo indicant, & ad nunquam desituras effervescentis superbie penas demergantur. Hinc Socrates terrestre quoddam quasi V. Max. Oraçulum, nihil ultra petendum à Deo arbitrabatur, nisi ut bona tribueret; quia is demum sciret, quid utiles nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Desine igitur stultissima Ratio fatorum voluntati, ut inimica conviciari, teq; totam cali perimite arbitrio, quia qui tribuere ex facili bona assuevit, eligere etiam potest aptissima.

Caterum, quid audio, tenè solum oppresserunt arumna? Tune solus, qua universi patiuntur, lamentaberis? Quidni ea, qua omnibus pariter incumbunt, aequissimo animo sustines? Quid illa tuâ molliti malitiaq; exasperas? Quin potius omne arum rimare, omnes annales excute, omnem mundum lustra, & innumeros fortuna socios inveneris; Quanto plura recentium & Tacitus. veterum revolvat, tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotijs observabuntur. Nemo fuerit, quin satis Alcumen. ap. Plaut. in Amphit. parvam rem esse voluptatem fatentur in vita atq; in atate degundâ; Itaq; Deo placitum, voluptati ut maror comes consequatur. Ingeniosè igitur querulum amicum Solon solatus est, in arcem Atheniensem cum perducendo hortandoq;, ut per omnes subjecto- rum

C

rum

rum adificiorum partes oculos circumferret, Quod uti factum  
animadvertit, cogita nunc tecum, ait, quot luctus sint sub his  
tectis, & olim fuerint, hodieq; versentur, & in sequentibus seculis  
sint habitaturi, ac mitte mortalium incommoda tanquam propria  
ferre. Idem assererat, si in unum locum cuncti mala sua conta-  
lissent, futurum, ut propria deportare domum, quam ex communi  
misericordiam acervo portionem suam ferre mallet. Suum enim  
cuicq; Natura attribuit mali pondus, quod pro ferentis humero vel  
leve vel grave est; ac si equali lance lata tristitiaq; libraveris, quin  
tristitia multum preponderatura sint, nemo dubitati: at simul ac  
Tranquillum equumq; animum illis adjeceris, omnia in alteram  
propendebunt partem, & ex animi sententia examen peregeris.  
Ergo patientia velut thorace armandum firmandumq; pectus, ne  
vel aliena vel propria mala perfodiant; neve lata vel tristitia pra-  
cipitent. Ne movearis, quod omnia hominum negotia similia  
initijs sunt, nec vita illorum magis sancta & severa, quam con-  
ceptus inchoati; nec peregrinis incommodis torquaris, qua aeter-  
na miseria est, nec delecteris, qua voluptas inhumana. Verum  
Socrates veneno moritur, Aristides indigno multatur exsilio,  
Pompejus & Cicero truncandam clientibus cervicem exhibent,  
Cato incumbit gladio, Scipio extra urbem, quam servarat, se-  
pelitur; Themistocles Taurino necatur sanguine. Vah, quam  
iniqua premia Fortuna persolvit! Hic toti solvuntur in fletus  
cinadi, ut mirum, nisi totos amnes ex oculis profundant. Tu  
autem respice illos, quos deploras; si fortiter illa tulerunt, mala  
nunquam visa sunt: si effeminati ferundis impares exstiterunt,  
quid tu tibi ea, qua satis deflenda ipsis sunt, denuo deflenda sumis.  
Amicum infelicem aut juva, si potes, aut si minus, fortunam rota  
insistere, summa celeritate summa imis mutare, eo ipso tantum con-  
stantem esse, quod in constantissima sit, edoce Nemo tantum usquam  
mali passus est, quo non alius graviora viderit, id quod Aesopus in  
leporibus lacu se submersuris eleganter adumbrat. Hydrope confli-  
datis? En, Heraclitus eo exstinctus est. Canis morsu laesi? Eu-  
ripides.

Bion. ap.  
V. Max.

Senec. de  
Tranquill.

ripides & Lucianus planè sunt discerpti. Prælio congressus hosti  
succubuiſti? Quid tibi, aliud, quam quod Xerxi, Dario, Anni-  
bali, Antiocho, Jugurtha, Syphaci, quod omnibus Monarchis  
contigit? Moriundum est? at omnibus. Fames patiunda?  
hui plurimis! parentes lugendi? omnibus aliquando qui paren-  
tes sunt sortiti. Deniq; nihil jam novi accidit mali, quin jam  
prius alijs contigerit, aut imposterum sit eventurum. Ergonè tu  
solus marebis? Quin te facis præficam, ut mercede conductis  
lacrumis (quoniam tantus dolendi pruritus est) aliorum dolores  
cobonestes.

Herodot.  
Livius.

Quod si ipsa mala trutinare incipiamus, ea aut nimis fluxa  
& brevia, si vehementiora; aut exigua & levia, si diuturniora  
sint, certò reperiemus. Non igitur Tranquillus desinit animus,  
si leuiori quadam furentis Fortuna aura infestabitur. Imò fædissi-  
mum erit, paucillo tempore frementem Boream non posse sustinere!  
Nulla tanta agritudo est, quam non longinquitas temporis minuat  
ac molliat, nec tantum temporis longitudo, sed mentis fortitudo  
maximè. Optimo tamen nomine Natura de nobis meruit, quod  
cum sciret, quibus arumnis nasceremur, calamitatum mollimen-  
tum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem gravissima in-  
ducens. Necessitas enim fortiter ferre docet, consuetudo facile.  
Id quod duos senes Plautinos multum consolatur, quorum alteri  
obtigerat uxor molestissima, alteri deterrima, permutatio neutri  
arridet, Habebo ut nactus, ait, nota mala res optima est. Nam si ego  
nunc ignotam capiam, quid agam nesciam, proinde ut diu vivitur  
bene vivitur. Quis vero neget extremos Scythas, & si quos Thules  
frigora adurunt, jam annoſæ consuetudinis vi subactos se non mi-  
nus temperato aère quàm nos, existimare uti. Quin ergo hoc  
mundi ergastulo tot annis detenti querelarum tandem modum in-  
ueniamus! inq; naturam potius abeat hominis, ut affligatur,  
quàm ut se affligi conqueratur. Sed homines ipsi falsas nobis  
ipsis generamus sollicitudines, sapius ad credulam spei perplexa  
curam antemnas solvimus, anxie nos componimus (non loquor de

L. Seneca.

in Sticho.

Mulieribus quibus ea in cura annus vertitur) nec simpliciter nos, cuiquam ostendimus. Cruciatu istu stolidi vaniq; sunt, torquens te ipsum nimia tui observatione, & dum deprehendi aliter quam soles, metuis, carnificinam exerces. Ubi enim tandem cura solveris, ubi totiens te aestimari putas, quoties aspici? semper sub personam vivis & histrionem agis gnave! Cum non sit virtuti periculum, ut admota oculis revilescat, & satius sit, simplicitate contemni, quam perpetua simulatione torqueri. Omnium igitur rerum sit vicissitudo, quam legem ipsa prescripsit Natura, summopere Melancholicos ipsos detestata, qui proprio corde, tanquam cochlea aere, victitanies, Tuiq; aut Promethei voracem jecore pascentes aquilam, nova illi subinde pabula sui renascentibus curarum venenis subministrant. His Vulcano aliquo peropus foret, qui asperrimo Insipientie Caucaaso suffixos liberaret, clavosq; penitus impactos eximeret. Tales sunt Eucliones, qui quanto plura possident, eo majora poscunt divitiarum peremniservi, sui ipsius strangulatores pessimi. Tales sunt Pompeij & Empedocles, qui ambitione turgentes inexhausta honorum fame discruciantur, quoq; altius ascendere, hoc ascendere nituntur altius, donec altissime sublatis precipiti ad ima lapsu revolvantur. Tales sunt illi, Gracis μεμψιμοιστοι, quos semper sui paenitet, quos alij semper eruditione, autoritate, eloquentia, prosperitate antecellunt, qui si Aeschini polleant lingua, Demosthenis expectant: si Anaxagora sapientiam, Platonis cupiunt: si Isocratis lepore, cor etiam Aristotelis exoptant: si sint Sejani, Neronis esse affectant; imò si sint equi, esse cupiunt asini. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Tu vero qui Tranquillitate nobiscum participare volueris, Nunquam detrectes bona, quae tibi fata dederunt, sis asinus quemcunq; asinum fors aspera fecit. Qui sortem placide ferre scit, ille sapit. Pauperiem molle dico contentus temper amato, Et rerum Dominus nil cupiendo manes. Non esse avidum pecunia est: non esse ma-

ἡφ' ἑραδ' ἔπι δ' ἰπὸ βλητ' ἔστ' ἰεῶν ἐκμηγεα δ' ὄρα.

Virgil. l.6.  
Lucanus in  
Dial.

Throphraft:  
in Charact.  
Ethic.

Vid. Tauti:  
Annal.

Homer.  
Iliad. a &  
γ. ἀργα.  
λε. δ.  
ὀλύμ-  
π. α. γ.

em.

*cem veltigal est: contentum suis rebus esse, maxima sunt certissimaque divitia: Non esse ambitiosum honor est, patienter balbutire eloquentia est, leviter ferre tarditatem, ingenium, ac quiescere suis dotibus, ea vero summa sapientia est. Quisq; enim non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat tanto est ditior: nec arca est implenda, sed animus. Rectissime igitur illi quibus non semper tristis austeritas frontem caperat, nec hyemes perpetuas spirant, sed latior aliquando aura exhilarat cerebrum, ac vernantibus oblectat gaudijs. Rarior usus voluptatem commendat. Fastidium autem & satietas comites esse solent paritatis. Nec in hac vita, ut sic dicam, scenam idem nobis habitus placet, Alcedonia interdum & malacia quadam sunt, quas mox nimborum aliqui turbines abrumpant, & savientium procellarum tyrannides intervertant. Splendeat post nubila Phæbus: Phæbum nubila faciant gratiorem. Quia enim ex assiduitate laborum nascitur animorum hebetatio quadam & languor, Legum conductores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam necessarium laboribus intermiscerent temperamentum. Et magni quidam viri suas ferias, sua otia, sua sibi quotidiana, menstrua, annua laxamenta dederunt. Cato fatigatum animum rorantibus laxabat poculis, Senec. Pollio Asinius decimam nobis quadantenus quartam labores finiebat. Romani novam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant. Aliquando vigorem convictus & liberalior restituet confabulatio: nonnunquam & usq; ad Ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas. Eluit enim & ab imo animum movet, & ut morbis quibusdam, ita tristitia medetur. Ac si Græco Poëta credimus, aliquando & insanire jucundum est, siq; Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit.*

*Tandem si hæc omnia, quæ modo memoravimus ad Tranquillitatem fovendam retinendamq; nondum sufficiunt, statim posthumum cogita, ubi justissimus Judex bonis præmia, malis*

C 3.

panas

Cic. Ra-  
rad. 6.

Cenfori-  
nus de die  
Natali.

Juvenal.  
s. II. 1.4.

J. Lipsius.

Senec.

Plat. in  
Gorg. Cie.  
1. Thusc.

de de Se-  
nect. Phi-  
lofophi  
item quam  
plurimi.

panas abundè dispensabit; unde si quas injurias hic excoquerè  
coactus es, largiffimo Deus brabéo remunerabit.

Verum enimverò benigniffimi Auditores se prolixius &  
operofius ista, uti vellem quidem, persequi, totamq; de animarum  
immortalitate, & verâ hac felicitate acquirendâ disputationem  
pertexere instituerem, alterâ non tantùm horâ, sed die opus effët,  
quem tamen non tam sum impudens, ut petam, nec tam dignus,  
ut impetrem. Quocirca ne & vobis & mihi Tranquillitatem  
sinceram & præoptabilem importunâ loquacitate eripiam, pedem  
hic figo, & de vestra æquanimitate, studioq; meritò mihi vehe-  
menter gratulor, utq; hoc ipso ingenti aureâ Tranquillitatis bono  
Inclÿta hac nostra Academia, vosq; ejus Rector Civesq;  
assiduò æternumq; perfruamini, toto  
pectore roveo.

D I X I.



EPIGRAMMA

IN HOSTES LITERATORUM.

*Phæbe Mida plures inventi; Tu omnibus aures  
Si bonus ipse tuis es, fabricare asini.*

J. CLUVERI;



STV.



STVDIOSIS ACADEMIÆ  
ROSTOCHIENSIS.

S. P.



Nemo est homo, cui quidem vel mica sit rectæ rationis, qui non fateatur, Græcæ Latinæque linguæ cognitionem apprimè necessariam esse omnibus, qui doctrinam aliquam sibi comparare & ea quæ didicerunt, cum alijs aliquando communicare velint: At verò qui in his linguis paulò accuratiùs addiscendis studium & operam ponant, reperiuntur oppidò pauci. Nimirum hæc opinio animos plerumq; veluti pestilente sidere afflavit, ut existiment, quicquid temporis in linguis discendis consumitur, id meliùs & rectiùs ipsis rebus cognoscendis impendi posse. Hinc fit ut Græcam, quidam linguam, illam omnium disciplinarum matrem planè aspernentur; Latinam verò vix primoribus labris degustent: Nam de comparanda lautioris & elegantioris orationis supellectile adeo non laborant, ut malint, sermone uti qui allium, hircum, canem, capram, suem, quod ille inquit, oleat, quàm in pervolvendis prisca scriptoribus, ad quorum exemplum os effingendum est, aliquid studij ac diligentia collocare. Verùm non est nobis propositum hoc tempore de linguarum contemptu longam querelam instituere: Optarim tamen pravam hanc & noxiam opinionem ex animis Juvenum, qui non frustrari volent spem & expectationem parentum, stirpitis esse eradicatam: Nunquam enim quis vel ad solidam rerum cognitionem pervenire poterit, qui linguas has superciliosè contemnat, vel politum quid & doctis auribus dignum pangere, nisi stylum linguamq; eloquio irrigarit. Neque tamen hæc ideo à me afferuntur, ut linguarum studium ipsis scientijs ac disciplinis præferam, aut his neglectis, in illis totum vitæ tempus transmittendum esse censeam, non: sed ut juventutem nostram ad literaturæ  
elegant-

elegantiam cum gravioribus studijs copulandam excitem, & ad linguæ mentisq; conjugium illi quasi pronubus sim. Scio quidem multos hæc, quæ bono consilio à nobis dicuntur, explosione ac pastoritia fistula digna esse judicaturos: sed horum judicia ego ne flocci facio, modò aliqui sint, ut esse in laudatissimo vestro cætu certò scio, qui rectè ad doctrinam via grassantes, assensum nobis præbeant. Inter illos verò est JOHANNES CLUVERUS Crempensis Holsatus juvenis eleganter doctus, καὶ τῶν μέσων τῆς χάριτος συνηγεμινός, ἡδὲ τῶν συλῶν, qui cum cras hora 9. orationem de Tranquillitate animi in Auditorio Magno habiturus sit, rogo omnes Musarum alumnos, ut ad ejus pronunciationem sive auscultationem frequenter confluere, & juveni huic de gravissimo hoc argumento eruditè & eleganter differentes mentes & aures placidas commodare dignentur. Vos etiam Magnifice Rector & Collegæ honorandi, si posthabitis gravioribus negotijs, præsentiam vestram nobis impertiri volueritis, non solum hunc juvenem magno beneficio, cujus pars etiam in me redundabit, vobis devincietis, sed & languentia studia magis magisq; excitabitis & alijs ad idem tentandum calcar addetis. Valet. P P. 15. Martij Anno 1613.

JOHANNES KIRCHMANNVS  
Pæfco & bonarum literarum in  
Acad. Rost. Professor.







STVDIOSIS AC ADE  
ROSTOCHIENSIS.

S. P.



Nemo est homo, cui quidem ve-  
rationis, qui non fateatur, Græ-  
linguæ cognitionem apprimè n-  
omnibus, qui doctrinam aliqua-  
re & ea quæ didicerunt, cum  
communicare velint: At verò  
guis paulò accuratius addiscendis studium & oper-  
periuntur oppidò pauci. Nimirum hæc opinio  
rumq; veluti pestilente sidere afflavit, ut existim-  
temporis in linguis discendis consumitur, id m-  
ipsis rebus cognoscendis impendi posse. Hinc  
quidam linguam, illam omnium disciplinarum  
aspernentur; Latinam verò vix primoribus labris  
de comparanda lautioris & elegantioris oratione  
adeo non laborant, ut malint, sermone uti qui al-  
canem, capram, suem, quod ille inquit, oleat, q-  
vendis prisca scriptoribus, ad quorum exemplum  
dum est, aliquid studij ac diligentia collocare.  
nobis propositum hoc tempore de linguarum  
gam querelam instituere: Optarim tamen p-  
noxiam opinionem ex animis Juvenum, qui non  
spem & expectationem parentum, stirpitus esse  
Nunquam enim quis vel ad solidam rerum cogn-  
nire poterit, qui linguas has superciliosè contem-  
tum quid & doctis auribus dignum pangere, i-  
guamq; eloquio irrigarit. Neque tamen hæc  
runtur, ut linguarum studium ipsis scientijs ac di-  
ram, aut his neglectis, in illis totum vitæ temp-  
dum esse censeam, non: sed ut iuventutem nostræ

